Theologia

Hevenesi P. [illegible]: Quaestio theologica de altissimo incarnationis mysterio.

QVÆSTIO
THEOLOGICA,
De Altiſsimo
INCARNATIONIS
MYSTERIO.

ex lib: 3. M. Sent. deſumpta.

A

M. PAVLO HERCIO Curzelouień.
S. Th. Sententiario & Profeſſore, Decano
Opatouień. Canonico S. Floriani,

In Alma Academia Cracouienſi, pro more antiquo, à S. Facultate Theologica præſcripto, in concurſu

PROPOSITA.

Anno Domini, 1647. Menſe Decemb.
Die Hora

Lectorio DD. Theologorum.

CRACOVIÆ,
In Officina Franciſci Cæſarij, S. R. M. Typographi.

VOluit Deus infirmiora noſtra abundantiori gloria ſublimare, & contraxit ſe Maieſtas, vt quod melius habebat, videlicet ſeipſum, limo noſtro coniungeret; & in perſona vna ſibi inuicem vnirentur Deus & limus, Maieſtas & infirmitas, tanta, vilitas & ſublimitas tanta. Nihil enim Deo ſublimius, nil vilius limo; & tamen tanta dignatione Deus deſcendit in limum, tantaq́ dignitate limus aſcendit ad Deum, vt quicquid in eo Deus fecit, limus feciſſe credatur; quicquid limus pertulit, Deus in illo pertuliſſe dicatur, tam ineffabili quam incomprehenſibili Sacramento. Et attende, quia ſicut in illa ſingulari diuinitate Trinitas eſt in Perſonis vnitas in ſubſtantia, ſic in iſta ſpeciali commiſtione Trinitas eſt in ſubſtantijs, in Perſona vnitas; & ſicut ibi Perſonæ non ſcindunt vnitatem, vnitas non minuit Trinitatem: ita & hic Perſona non confundit ſubſtantias, nec ſubſtantiæ ipſæ Perſonæ diſſipant vnitatem. D. Bern. Serm. 3. in vig. Nat. Domini.

QVÆSTIO.

V. Vnio hypoſtatica omniũ creatarum Vnionum maxima, ſummèq; miraculoſa, facta ſit in perſona, & non in natura; abſque vlla mutatione ex parte Diuinæ naturæ, & proprietatum vtriuſque naturæ confuſione necne?

CONCLVSIO I.

Vnio hypoſtatica maxima eſt omnium creatarum vnionum.

COROLLARIA.

I. *Maior eſt hypoſtatica vnio, quàm in nobis vnio animæ & corporis.*

II. Vnio Incarnationis ratione vnitatis personæ Diuinæ, in qua fit vnio, præeminet vnitati numerali.

III. Nefas dictu est, naturam humanam aduenire Personæ Diuinæ, sicut mobile motori.

IV. Quamuis Persona Christi secundum illud, quod in se est, siue secundum suam realitatem non sit composita, sed omninò simplex, tamen secundum diuersas rationes subsistendi dici potest quasi composita.

V. Christus secundum quod homo est aliquid, & non aliqualiter se habens; unde in hac Propositione Christus est homo, prædicatio est in quid non in quale.

VI. Quamuis humana natura Filio Dei adueniat habenti esse completum, non tamen illi aduenit accidentaliter.

VII. Vnio Personarum in vna essentia maior est, quàm vnio naturarum in vna Persona.

VIII. Vnio Verbi Incarnati non est idem quod assumptio.

IX. Humana natura nobilitatur ex vnione ad verbum, sed non mutat verbum.

X. Propositio hæc Deus est homo, vera est, non solùm

lùm propter veritatem terminorum, ſed etiam propter veritatem prædicationis.

CONCLVSIO II.

Vnio hypoſtatica ſimpliciter eſt miraculoſa, non naturalis.

COROLLARIA.

II. *Eleuatio creaturæ ad eſſe Dei perſonale, eſt ſupra naturæ humanæ facultatem, eſtq́; facta per gratuitam Dei voluntatem.*

II. *Agens naturale non poteſt ex materia non naturaliter proportionata effectum producere.*

II. *In conceptione Chriſti formans virtus Diuina fuit, & ſupernaturalis.*

IV. *Nulli creaturæ communicari poteſt, quod communicatum traheret ipſam extra terminos creaturæ.*

V. *In Chriſto non eſt aliud eſſe humanum aliud Diuinum; ita vt natura humana ſuperueniens det aliud eſſe quàm Diuinum.*

VI. *Aſſumptum Corpus à Filio Dei formatum fuit virtute Spiritus Sancti in inſtanti.*

VII. *Supra omnem naturæ ordinem est, vt fœmina concipiat Deum, & virgo pariat filium.*

VIII. *Assumere quatenus significat ad se & in se sumere, conuenit tantum personæ, in qua facta est vnio non naturæ.*

IX. *Jn vno genere vel specie Deum & creaturam conuenire est impossibile, licet per analogiam conuenientia dari possit.*

X. *Per Mysterium Incarnationis summo modo se Deus creaturæ communicat.*

CONCLVSIO III.

Hypostatica Vnio facta est in Persona, non verò in natura.

COROLLARIA.

I. *Natura humana dum additur personæ, non causat in ipsa personalitatem, sed ad eius personalitatem præexistentem trahitur.*

II. *Persona Diuina non supponitur humanæ naturæ, quasi sub ea ponatur sicut materia sub forma, sed quasi subsistens in ea.*

III. *Quamuis natura Diuina & humana differant plusquam*

plusquam specie vel genere, in vnam tamen Personam eas vniri non implicat.

IV. *Proprietates naturæ humanæ nunquam dicuntur de Diuina, nec è contra, nisi secundum participationem quandam.*

V. *Anima & Corpus propriè loquendo, quatenus sunt partes hominis non sunt duæ naturæ, sed vtrumque est pars naturæ ex vtroque resultantis.*

VI. *Natura Diuina non habet aliquid potentialitatis, nec potest esse actus veniens in compositionem alicuius.*

VII. *Authoritates quæ dicunt hominem assumptum, exponi debent sic, vt ponatur concretum pro abstracto, id est, homo pro natura humana.*

VIII. *Caro deificata dicitur, non quod sit facta ipsa Diuinitas, sed quia facta est Dei Caro.*

IX. *Esse pertinet ad hypostasim, sicut ad id quod habet esse, ad naturam verò sicut ad id, quo aliquid habet esse.*

X. *Quæ in materia non communicant, in inuicem transire non possunt.*

CON-

CONCLVSIO IV.

In Incarnatione Verbi nulla facta est mutatio in natura Diuina, sed solùm in humana.

COROLLARIA.

I. *Vnionis relatio est in Deo secundùm rationem tantùm, & non secundùm rem.*

II. *In hac propositione Deus factus est homo, participium, factus, non importat circa Deum, nisi fieri rationis.*

III. *Licet non poßit aliquid aduenire Deo secundùm rem, potest tamen secundùm rationem.*

IV. *Relatio quæ incipit esse ex tempore, causatur ex aliqua noua actione.*

V. *Quòd Filius Dei naturam humanam assumpserit, dicere possumus; non tamen dicere possumus, quòd natura Diuina à natura humana fuerit assumpta.*

VI. *Quamuis suppositum Diuinum semper fuerit, non tamen semper fuit humanæ naturæ suppositum, secundùm quod significatur hoc nomine homo.*

VII.

VII. *Aſſumptio & Vnio differunt, quod aſſumptio ſit actio & paſsio, vnio autem relatio tantùm.*

VIII. *Deus vniri voluit homini non propter ſe, ſed propter hominem, cui ſubueniendum erat.*

IX. *Perſona non addit ſupra hypoſtaſim, niſi quod ſit rationalis naturæ.*

X. *Quamuis relatio quoad rationem formalem dependeat à termino, quoad eſſe tamen dependet à ſubiecto.*

CONCLVSIO V.

In vna Perſona Verbi duæ naturæ inconfusè & inalterabiliter ſunt vnitæ.

COROLLARIA.

I. *In Chriſto vtraq; natura eſt ens actu, non verò vna actu altera potentia.*

II. *Non debet abſolutè dici, quòd Chriſtus ſit creatura, aut minor Patre, ſed cum determinatione, nempè ſecundum humanam naturam.*

III. *Dum dicitur Verbum Caro, id eſt homo factum, hoc intelligendum eſt non per tranſmutationem naturæ, ſed per vnionem in ſuppoſito.*

IV. *Assumi est contra rationem personæ, quæ maximam completionem importat.*

V. *De Christo Diuina natura tam in abstracto, quàm in concreto prædicari potest, humana verò non potest nisi in concreto.*

VI. *Proprietates naturæ humanæ nunquam dicuntur de Diuina, neq; è conuerso; nisi secundùm quandam participationem: sed dicuntur de habente naturam vel humanam vel Diuinam, quæ significatur hoc nomine DEVS, & nomine homo.*

VII. *Natura Diuina non potest esse actus veniens in compositionem alicuius, nec habet aliquid potentialitatis.*

VIII. *Anima Christi ad comprehensionem Diuinæ essentiæ non peruenit, neque peruenire potuit.*

IX. *In Christo sunt duæ voluntates, Diuina & humana, & vtriusq; naturales operationes.*

X. *Excellens cognitio à comprehensiua notitia deficit, sicut finitum ab infinito.*

in

n-

eſ-

In ſimplicibus non differt re natura & perſona, nec natura recipitur in aliqua materia per guam indiuiduetur.



Sub felicibus auſpicijs

Perilluſt. Adm. Rndi & Magnif. Domini

IACOBI VITELLII,

S. Th. DOCTORIS, &

PROFESSORIS,

Eccleſiæ Cathedralis Cracouienſis

CANONICI,

Almæ Academiæ Cracouienſis

RECTORIS

Vigilantiſsimi.